

ORATIO  
AMBROSII CA  
THARINI POLITI SENENSIS,  
decfficio & dignitate Sacerdotum,  
Christiani gregis pastorum,  
In synodo Lugduñ.habita.



LVGDVN  
AEVD HAEREDES SIMONIS  
VINCENTII  
M. D. XXXVII.

MADE IN SPAIN

(2)

ORATIO  
F. AMBROSII CA-  
THARINI POLITI SENENSIS,  
de officio & dignitate Sacerdotum,  
Christiani & gregis pastorum,  
In synodo Lugduñ, habita.



L V G D V N I  
APVD HAEREDES SIMONIS.  
V I N C E N T I I  
M. D. XXXVII.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO  
patri, ac domino. D. Francisco. S. Rom. ecclesie  
Cardinali, à Turnone, tit. Sanctorum Petri  
& Marcellini. F. Ambrosius Poli-  
tus Senensis ordi. predica.  
indignus. S. D.



V O D hoc anno de sacerdotis, gregū;  
Chriſti paſtoris offiſio, in huius ordine  
urbis dioceſi collecta de more ſynodo,  
penè ex tempore ſum eloquutus. Pater  
ampliſ. typographus quidam, ut ſibi  
excludēdum darē, rogauit. Volebat enim alteri iam olim  
aedito libello, nunc etiam denuo, ab illo excuso, quem  
Christianissimū regni ſummo cācellario dicaui, & hanc  
noſtrā concionem ſimul adiungere. Non autem id fieri  
paſſus eſsem, ni uiri quidā religioſi mihi ſuggeſſiſſent  
ne prohiberem. Sed quo maiore cum gratia id fieret, tue  
celſitudini quaſi pauperis quoddam xeniolum destina-  
rem, quod maxime hic tractatus tui loci uiris, imo tibi  
potiſſimum conuenire uideretur, qui tametiſi propter  
excellentem prudentiam ſingularemq; fidem, regio man-  
dato, que ad regu huius tutelam pertinent ſedulo ac fa-  
pienter cures, non minus tamen (ut firma eſt) etiam pro-  
prium, hoc eſt, religioſi pīj̄; Antifititis munus exples.  
Que reſ profecto quanto rārior ac diſſicilior, tanto etiā  
admirabilior atq; preſtantior. Eſt ſanē Beati Pauli ue-  
2. Ad Tim. 2. riſſima ſententia. Nemo militans deo implicat ſe negocijs  
ſecularibus. Implicat inquit, ut nō exercitium, ſed impli-  
cationem

tationem ipsam, ab Apoſtolo interdictam eſe conſpice-  
remus, quum quis ita ijs rebus obuoluitur atq; obrui-  
tur, ut propter ea diuina penitus obliuſcatur, aut poſt-  
habeat. Ad hāc, dixit. Nemo ſe implicat, ut eos demum  
uituperaret, qui ſuapte ſponte ea negocia ſibi ſumunt:  
non autem illos qui pietatis aut obedientie ſtudio, neceſ-  
ſarij ſe cuiuſdam obſequij gratia, quæ ingeruntur uſci-  
piunt. Cum tu igitur non te ultrō ad hāc ingeſſeris, atq;  
in his adeò ſapienter uerſeris, ut cum Martham agas,  
pulchriora Mārie ſtudia non omittas, iure optimo tibi  
conuenire dicerim, quod eleganter protulit quidam.  
Omne tulit punctum qui uincit utile dulci. Dulce quip  
pe eſt, contemplari diuina. Vtile uerò, actione atq; offi-  
cijs ſe proximorum demittere neceſſitatibus ac deser-  
uire. Neq; tamen hāc ita accipi uelim, ut quilibet ſibi  
ipſi id permittat quod per paucorum eſt, uidelicet ut  
utrumque munus obire ualeant ac preſtare, cum illud  
ſit plurimorum. Pectora noſtra duas non admittentia Horatius.  
curas. Verum de hoc haſtenus, non enim noſtræ mentis  
eſt, aut opis, tuas laudes preſdicare. hoc tantum erat  
quod uolebam, ut candido animo ſeruilitui qualecum-  
que muuſculum uſcipias. eoq; ocul, quo uidiuam re-  
ſpexit dominus, illam in gazoſyphlatū era duo mitten-  
tem: reſpicias nec legere, ſi quādo uacat, dedigneris. Non  
autem hoc inquam, ut dictionis elegantia probes, (quam  
ſator ita me non affectare, ut fortassis nimius fit ne-  
glectus, ac merito culpandus) uerum ut ſalutiferæ ue-  
ritatis ſucco, quem (ni fallor) ibi perſenties, uescaris,  
Deoq; ſummo gratias agas, cum eas inter uirtu-

tes eſe agnoueris, eaq; uitia abſ te abeſſe, quæ ibi de ſacerdotiſ ac paſtoriſ, aut boniſ aut malis, aut com= memorantur aut exprobrantur. Porrò quod huius tem= poris in felicissimam calamitatem, quæ ab hereticis, & ſchismatiſis, & hypocriſis, rei publice christiane iure obuenit, deploro, & iram dei que proculdubio cerui-

cibus noſtriſ imminere uidetur, denuncio, ita & qui

boniſ confuſes, ut qui domini dictum

nouit. Hypocrite, faciem cœli diju-

dicare noſtiſ: ſigna autē tem-

porum non poſteſiſ?

Vale Felix.

Matthei. 16.

ORATIO F. AMBRO<sup>s</sup>  
SII CATHARINI POLITI  
ſenensis, de officio & dignitate ſacerdo-  
tum, Christiani<sup>q</sup>; gregis paſto-  
rum in ſynodo Lugdūn.  
habita.



V A N A M me forte factum dicam, pā-  
tres in libro uitæ cōſcripti, ut in hoc ce-  
leberrimo clarissimorum uirorum ac ſa-  
cerdotum dei confeſſu, penè ex tempo-  
re uerba facere, maiorum imperio me  
oporeat, ac preſertim ea de re quæ uirum alium, longe  
quām ego ſim, & ſpectatoris exēpli, & clarioris doctri-  
ne, ac multo deniq; uberioris faciūdæ deſiderabatur. Ve-  
rum duo ſunt quæ me in hoc munere magnopere recreat,  
& quæ dicentem uehementer animare ſolent. Primum  
quod uos adeo uerſtra ſponte principio orationis meæ at-  
tentos intueor, ut ad uerſtram beniuolentiam comparan-  
dam nullum mihi inde negocium ſuperereſſe perſpiciam.  
Alterum quod res ipſa, de qua dicere hodie iubeor, p̄r̄  
ſui claritate atq; amplitudine adeo patet, ut non existi-  
mem quenquam hominum, tamē ſi parum deſeritum, atq;  
ineloquentem, poſſe tamen de ea tractantem in dicendo  
deficere. Q uamobrem ut melioribus auſpicijs ordiar, &  
addatur gratia uerbo, gratiarum omnium parentem,  
almam illam ac ſacerrimam uirginem, angelica ſaluta-  
tione p̄emissa, ut sancti moris eſt, propitiā mīhi ac  
fauſtricem, toto pectore muocabo, uos item quæſo adeſte

A 3 pijs

pijs animis, ac fauete. Ave Maria. &c.

**D**E sacerdote gregisq; Christi pastore, texenti mihi sermonem, duo potissimum tractatu digna, plurimumq; ad rem pertinentia, occurserunt. Primum ordinis lociq;, in quo ipsi collocantur, dignitas ac celsitudo. Secundum, functionis eius debitum, quod ab ipsis ecclieis pater & summus omnium hierarcha Christus reposcit. Et quidem, quod ad primum attinet, neminem uestrum latere arbitror, inter multa & uaria ac preiosa chrisma, quae spiritus sanctus sponsus Christi Ecclesiae assidue mirifica dignatione largitur, regale sacerdotium proculdubio eminere. Quapropter eximius ille pastor atque Apostolorum princeps, in spiritu sancto exultans aiebat. *Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* Magna profectio res est Patres, sacerdotem dei esse, & Christi gregis pastorem agere, atque adeo magna, ut nullum adeo magnum, excelsumq; nomen excogitari ualeat, quod in hoc genus competere sanctorum testimonio scripturarum non comprobetur. Nam ut pauca de multis, sed sublimiora excepam. *Quis non grande ac magnificum esse existimet, Dei angelum nominari?* quod hanc appellationem coelestes illi ac purissimi spiritus, quasi propriam, suo sibi quodam iure uendicauerunt: quorum natura ita nostram precellit, ut non dubitarit. *Psaltes egregius etiam de Christo ipso, humanam in eo conditionem tantisper aspiciens, confidenter afferere.* Minuisti cum paulominus ab Angelis. Et tamen sacerdotem Dei, angelum Dei exerta uoce oraculum ecclie pro-nuntiat.

*Psalms.*

nuntiat. Honorificentius autem puto esse Christi no= Malach. 2. men, quod hoc nulli unquam angelorum tributum, sed soli summo Dei filio, ob excellentem summamq; gra=tiam in eum collatam, peculiariter seruatum agnoscimus, quo tamè excelsò nomine, diuina bonitas sacerdotes honorare non dedignatur. Nam hoc de nobis specialiter in sacrис literis mandat. Nolite tangere Christos meos. *Psal. 104.* Ceteri autem mortalium, qui fide initiati, & sanctis aquis abluti, insiti sunt uerbo Dei, satis superq; satis, accepere, quod autore spiritus sancto, Christiani, a Christi nomine cognominati sunt. At uos (ut audistis) etià Christos, sermo diuinus appellat. *Quid moror? Quid maius,* aut quid excelsius hoc nomine, Deus, excogitari potest? Et nihilominus, uos etiam Deos, nec id quidem communè quodam modo, secundum quem, omnibus qui fide, & sacramentis, Dei uerbum dominum agnouerunt, illud conuenit, ego dixi. *Dij estis & filii excelsi omnes, sed pecu= Psal. 31.* liari intellectu, ut uos ab alijs, hac insigni nota secernat, Deos præ ceteris scriptura ipsa sancta cognominat. Nam de uobis specialiter & illud mandatum est. *Dij non detrubes,* *Vnxit enim uos spiritus ille bonus oleo gratiae & exultationis in Christo præ multis participibus eius, ut non solum diuinae naturæ, uerum etiam potestatis consortes efficeret,* Quapropter post illum unum summum uerum Christum, uerumq; Deum, uos ampliori participatione & Christi, & *Dij merito cogno= minamini.* Et quia uos item nuncios destinauit ad plementum suum, ut ex ore uestrō uerba salutis intelligent, & eterna uite mysterijs instruantur, idcirco etiam angeli

*Exo. 22:*

A 4 Dei estis

DE OFFICIO

Dei ejus. Quid enim est aliud angelus, nisi nuncius? Verissima hæc sunt que loquor, non propria meditatione confusa, non orationis facultate exaggerata, sed è medio sanctorum scripturarum collecta, et oraculis contestata diuinis, à me uero etiam (ut uel ipsi nunc censere potestis) simplici enarrata sermone: ne si quid de prestantia uestra excelsum dixeris, aut etiam persuaseris, arti dicendi, ac nō ipsius potius ueritatis luci atq; poteris ascribatur. Confidenter enim pronunciauerim: Non est ulla sub cœlo data potestas maior, non dignitas clarior, non celstudo sublimior nec honorabilior, nec denique firmior regali hœc sacerdotio, aut sacerdotali presulatu. Sanè ex maiorum monumentis, quatuor secularia regna, præ ceteris glorioſa ac ueterum literis clarius illustrata cognouimus. Primum Assyriorum. Secundum Medorum atque Persarum. Tertium Macedonum sive Grecorum. Postremum denique omnium robustissimum Romanorum. Sed ubi nunc obsecro haec? excesserunt, corruerunt, euauerunt, ut nec uestigia, sed sola nobis ex annalibus aut historijs memoria supersit. Vbi ergo de Romanorum gloria et potestate iouis illud oraculum quod est apud Poetam. His ego nec metas rerum nec tempora pono, Imperium sine fine dedit. Verum quid prohibet Deum falsum, aut poetam quamvis egregium etiam luculenter esse mentitum? Esto enim Deus noster ipse semper uerax: Omnis autem homo mendax, Dæmon uero etiā ipsius mēdacijs pater sit. Nobis enim quid olim de regnis illis decreuerat Pater omnipotens, regio somnij, quod propheta Daniel et diuinauit, et inter pretatus

Vergilius.

Ad Rom. 3.  
Ioan. 3.

ET DIGNITATE SACER.

pretatus est, eleganter monstratum est. Erat enim sua Danic. 2, tua sublimis, uisa regi in somnis, cuius caput aureum, pectus et brachia ex argento, uenter ac femora ænea, porrò ferrea tibiae, pedes partim ferrei, partim fictiles. In hac statua quatuor hæc imperia signata sunt, et si cut statua illa non stetit, quia percussa est à lapide fortiore, ita non steterunt regna illa, quia Deus suscitauit regnum Christi sui, cui et repromiserat. Postula à Psal. 2, me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessio nem tuam terminos terra. Et ut hoc regnum sacerdotali ac pontificium esse ostenderet, apud eundem prophetam dixit. Tu es sacerdos in eternum secundum ordinem Melchisedech. Hic adeò noster uerus est rex iustitiae ac pacis qui suam uobis potestatem dedit, ut de uobis proculdubio diceret. Qui uos audit, me audit: et Luke. 10, qui uos spernit, me spernit. Christi igitur summa regis loco in terris præfecti estis et eminentis: Conati sunt aliquando terreni principes uestram gloriam obscurare, ac potestatem deprimere, sed non prævaluere, quia dominus uestram causam defendens represerit illos. Extat Gregorij nazanzeni in imperatores Romani regni, qui sese ipsos uobis preferre audebant, animosa responsio, in hec uerba. Suscipitis ne libertatem uerbi! Libenter ergo accipitis, quod lex Christi sacerdotali uos subiicit potestati. Dedit enim et nobis omnipotens potestatem, dedit et principatum multò perfectiore principatis uestris. Nunquid æquum uobis uidetur, si cedat spiritus carni, si à terrenis cœlestia superentur, si diuinis preferantur humana? Sed hactenus uerbis pugnabatur.

A 5 Nunc si

Nunc si spiritus virtutem probare vultis, et dei potestatem in sacerdote, ponite uobis ob oculos, uelut in scenā, non quidem fabularum, sed pulcherrimae ueritatis, prodeuntem Ambrofum episcopum, cuius cantus et psalmodia in christi hostes, erat ualla firmissima castrorum: cuius orationes certissima iacula in eorum pectora: cuius deniq; ardentia suspiria et lachrymæ fulmina erant tormenta bellica iniustissima: hunc quæso spectate quum Theodosium illum maiorem, imperij Roma, fastigio factum, et nonnquam pretumore animi superbum ac insolentem, sacerdotali tamen (qua preualuit) potestate, in ordinem penitentium ob admissum cedis flagitium proficere ad ualias ecclesie coegit. nihil enim ueritus imperatoriam illam, sed terrenam maiestatem, nihil turgidum uiri uultum ac minabudum, attamen uiri, formidans, tempi dei ianuam uolenti ingredi, mirifico ausu oculus, ac de admisso crimine, liberrima fronte ac pro dignitate pontificis munera corripuit. Hec noster, quale spectaculum patres orbis imperatorem sacerdotus uerbo increpitum, perterritum, a sacris altaribus exclusum, iussumq; cum reliquis flagitiis ad templo ianuam expectare misericordiam, mox depositis imperatorijs fascibus, pro foribus quasi anathema incerentem lachrymis, et pannis squalidum procumbere, donec per sacerdotem dei clementia impetraret? Quid hac scena mirabilius? quod exemplum plu evidentius ut non humana sed diuinā in dei sacerdote potestate ac dignitatē agnosceres? Nam et ipse metu imperator in uestra gloriā dixisse fertur, Quantū imperatori dei sacerdos præstaret, se tandem ab Ambrofio didicisse.

Hanc

**H**anc etiam dei potentiam in pontifice et uidit et se expertum esse testatus est Attila, terribile ilud summi dei flagellum qui sanctissimi Papæ Leonis primi affectu solo deterritus, Italia ceſtit: et cum omnes factum illius furiae mirarentur, in eo pontifice dei et apostolorum eius minas se conflexisse professus est. Recentius est mirificum illud Alexandri tertij senensis exemplum cuius pedibus Friderici imperatoris caput calcedum diuina (qua superauit) potestate prebitum est: ut pastor ille in se uerum factū affereret quod scriptum erat. Super aspidem et Basilicum ambulabis, et concubitis leonem et draconem. Nam cum ille prostratus adhuc contumax respōdisset, Non tibi sed petro, etiam deuuo compressus, uocem merite increpatonis, et pontificis maiestate dignam audiuit. Et mihi, et Petro. Possem et alia permulta fratres, ad hoc ipsum confirmandum testimonia et exempla proferre. Verum iam præſiterit, quod secundo loco tractandum proposui, hoc est que sint uestra partes, et que princeps sacerdotum christus a uobis exigat, cōpendio perstringere ac enarrare. Fī. 1. ad Tim. 3. delis sermo et omni acceptione dignus, insonat Apostolica tuba. Oportet episcopum esse irreprehensibilem, unum certe hoc uerbum est, sed in quo uno collecta sint omnia. Quod enim ait, oportet, necessitatem ostendit. Quod uero adiicit, quid nō oporteat declarās uidelicet, esse irreprehensibilem, pectus cuiusq; non leui istu pulfare ualeat, ut quisq; uestrum ad seipsum respiciens iustus oculis conscientie sue rimetur arcana, recteq; probet an uere irreprehensibilis sit. Si enim non semetipsum decipiens

cipiens in se id ipsum agnoscat, gaudeat et cum deo suo  
perget feliciter usque in finem, ut deniq; cum apostolo  
Cycnæum cantum sumens in ea uerba prorumpat. Bo=  
2.ad Tim.4. num certamen certavi, cursum consummaui, fidem serua=  
ui, ceterum reposita est mihi corona iustitiae. Quod si  
quenquam uestrum (quod abominor) conscientia reum  
criminis arguat coram deo, metuat, caueat, resipiscat.  
Nemo sibi blandiatur, nemo in honoris gradu, et loci  
sublimitate confidat, que enim sunt alta etiam magis sum= =  
mi cœli fulminibus obiciuntur, nec nisi ex alto ruinae  
graues, ut non ineleganter dixerit quidam. Tolluntur in  
altum ut lapsu grauiori ruant, nemo dicat. Diximus, ut  
sine iudice se esse arbitretur, nam scriptum est. Deus crea=  
tit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat,  
et sapiens clamat Iudicium durissimum ijs qui praesunt  
fici. Erat proculdubio magnus et gloriosus ille Lucifer  
et in cœli templis et delitijs paradisi idem collocatus,  
plurimis sui ordinis spiritibus dignitate et celsitudine  
præstabat, cui tamen minime pepercit omnipotens, quia  
ille non se subdidit omnipotentie. Cecidit ergo tandem et  
cecidit preceps, non de terrestri ullo solio, sed de supre= =  
mo empyreo cœlo cum sue scœlestib[us] improbis in  
profundum, et de lucifero factus lucifugus, tenebrosum  
eternumq; ignem secum in foelix trahit quoconq; pergit.  
Euit et iudas, ille proditor, dei sacerdos, et in senatum  
apostolicum, (quo nullus gradus in terris maior) quasi  
angelus summi dei proiectus, imo quasi ex diis unus,  
summo deo christo hærebat. At rem quæso infelicem exi= =  
tus considerate, O miserum nec miserabilem tamen uen= =  
didit

didit enim argento uiuum dei uini templum, quid hoc  
sacrilegio horribilius? Quid autem locus ad exclaman= =  
dum opportunior. Quis non mortalia pectora cogis, Vergilius.  
Auri sacra famæ? Sed nunc expendite poenas. Poenituit  
scelestum tandem, imo penè illico excreandi facinoris, at  
sera et instructuosa poenitentia. Proinde flagitium con= =  
fessus, misericordiam minime consecuturus, ait. Peccauit  
tradere sanguinem iustum: fuit enim confessio fpe ua= =  
cua, et charitate dei merito destituta, et ob eam cau= =  
sam inefficax, atq; manis. Deniq; pecuniam diro illo ac  
funesto scelere partam, uidelicet a templo dei, ipsum in  
templum, iustitiæ id exigente refudit: atq; inde abiens et  
laqueo se suspendens, crepansq; medius, nigrum illam ac  
fœtentem animam, cum fœtidis uisceribus ipsi orco red= =  
dedit cibum suum: atque hoc pacto ut sui ipsius turpissi= =  
num spectaculum, ita utilissimum exemplum reliquit  
mundo. Erat et Heli sacerdos dei excelsi, et christus  
domini uocabatur, in quem tamè adeo fœnit diuina ultio <sup>1. Reg. 4.</sup>  
quod filios altaris diaconos, a gule uitio non compescuit,  
ut a sacerdotij munere, non ipse tantum, sed omnis eius  
posterioris iurisfirandi religione reprobata sit. quam= =  
obrem uno simul tristi nuncio, quod filij sub hostium  
manu ceciderint et quod arca dei capta esset, quasi fili= =  
mine coelesti tactus, retrorsum de sella cadens, fractus cer= =  
uicibus expiravit. At uero cur hec putamus credita sa= =  
cri literis: an forte, ut tantisper sciamus? Minime, sed ut  
scientes capiamus hinc exempla uita. Nec enim unus tan= =  
tum Lucifer, nec Iudas unus nec unus Heli, sed utinam non  
longe plures quam quispiam arbitrari posse, quos idem  
aliquando

aliquando exitus, eademque supplicia merito maneantur. Quamobrem rursus auribus capiendum est ac uehementius cordi affigendum, apostolicum praeceptum: Oportere Episcopum esse irreprehensibilem. Breue id quidem uerbum, sed pregnans ac multa in se complectens.

**N**on enim erit irreprehensibilis Dei sacerdos, si uaritiae studeat. Qui enim se clericum, id est, in sorte domini mancipatum, profissus fuerit. Dominus pars hereditatis meae et calicis mei, tu es qui restituies hereditatem meam mihi: si rursus ad sordidae pecunie questum ac terra bona suspiret, si praeferre necessaria uita quicquam ultra inquirat, iam non uere clericus est, nec dominus sua fors, sed iudea laqueus illi seruatur in sortem. At quanta hic, bone Deus, ad dicendum ac merito inuehendum materia, hac tempestate? Evidem uereor nunc illud esse, quum maxime uera facta est querela Christi illa. Dominus mea dominus orationis uocabitur, uos autem fecisti eam speluncam latronum. Quis enim (ut alibi per prophetam ipse conqueritur) incendit nunc altare gratuito? quis immolat hostias et non uendit eas? Et cum ita sit manifesto, excusare tamen nonnulli, audent scripture pretextu, qualiceter sibi aiunt edere de altari. et sane licet edere, at non ingurgitare, non omnia abligurire, edere, non lasciare aut cumulare thesaurorum: Denique edere, non uendere, non Pacisci, et ueneranda spiritus sancti mysteria nullis auri thesauris comparanda pretio, estimantes nummario debonestare.

**N**on erit irreprehensibilis Dei sacerdos, qui superbia ac pompa fastu que ambitioso tumens,

suam

suam magis quam Dei gloriam, suum potius honorem, quam ouium Christi salutem querat. Verum quam pauci nunc, in quibus liceat intueri uerbum Dei uiuum, quod dixit. Qui uidentur gentium principes dominantur eis, ac super illos potestatem exercent. At inter nos non sic decet: sed qui maior est uestrum, fiat sicut minor, ex qui praecessor est, sicut ministrator: talis enim ego sum in medio uestrum, non tanquam qui imperat, sed ueluti qui ministrat.

**N**on erit irreprehensibilis Dei sacerdos, qui ueneris uoluptatibus et impudicis complexibus, uelut equus et mulus, et animantia bruta, quibus nulla ratio imperat, oblectatur. Nam qui conuenit, ut sacramentorum minister uix ab amicis suis adulterae sue scorti aut denique concubine collo, explicatis lacertis ad sacrum illico accedat altare, et pollutis illis manibus coelestem panem conficiat, eluet, contrectet, et ore illo inquinato manducet? Hem quid iudicij, quid irarum seruari putamus in huiusmodi impuros diuincrum ministros? Consulite qui uultis scripturas sanctas, et intelligatis hoc flagitium cataclysmo uniuersali causam dedisse. Nam postquam ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, eo quod essent pulchrae (ut scriptura ipsa testatur) incensus ira pater omnipotens, praeferre octo annas, quas ad salutem recipi iussit in arcam, reliquam omnem carnem ultrices aquae, corripientes miserando spectaculo absumperunt.

**N**on erit irreprehensibilis Dei sacerdos, si gule uoragi satisfaciens, salacissime ueneri irritamenta

menta procuret. Vetus est ac uerum prouerbium. Sine Terentius. Cerere et Baccho friget Venus. Sit ergo et hoc sanè si libet) nouum, nam æquè uerum, adagium: E Cerere et Baccho feruet Venus, ac suo feruori per insipientia membra exitus illicitos et penitendos exquirit. Saturitas, et ocy et lascivie parés, Sodome, et Gomorre, et propinquis urbibus, exitiale ac memorabile comparauit incendium. Peccatum filiorum Heli, illius magni, quem diximus, sacerdotis, tanto expiatum supplicio, non aliud fuisse legimus quam gule uoraginiem, quam tamen nunc iam uix inter uitia computari uidemus: quin gloriosum plurimi ac beatum censem, epulari cotidie splendide atque opipare.

**M**atth.26.  
**N**on erit irreprehensibilis Dei sacerdos, non solù qui immunda anima et corpore, ueruetia qui al taribus, et calicibus, et uestibus, et mappis (ut vocant) et palliis, et linteolis, et reliqua que ad sacrificium exigitur, immunda supellechili utens diuina mysteria contrectarit, quamvis enim sicut sol in luto, ita et cœlestia terrenis sordibus non inquimentur, tamen immundissimi cor dis ferè certum est signum, tam mundis thesauris immundas aptare thecas. ob hoc enim ipsum non nisi immunda in syndone suum corpus inuolui dominus uoluit, nec nisi in sepulchro nouo condi permisit. At uero hic sacerdotum neglectus, quam latè nunc uniuerso christiano orbe pateat, utinam non cum scandalo ac subuersione mulitorum perspiceremus.

**N**on erit irreprehensibilis Dei sacerdos, qui diuinorum scientiam, Deique legem repulerit aut ignoret

## ET DIGNITATE SACER.

ignoret. Nam quid magis præpostorum, quam qui ad dendum alios præponitur, ipsum maxime indigere doctrina? Scriptum est enim, Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Sed et hic est locus, ubi materie ubertate obruerer, si que ad inficitiam sacerdotum exprobrandam menti occurront, etiam oratione complecti ac persequi uelim. Hic igitur uobis ipsis cogitandum relinquo, rem longo gemitu luctuq; deplorandam, omni increpatione insectandam toto etiam pectore ac spiritu detestandam. Sed eorum præcipue culpa est, qui tales promouent idiotas illiteratos rusticos, quos stiua potius quam libris aptos, ne dicam sacris altaribus meritò censeris. Quare hunc articulum in uerbo domini concludam. Vos estis lux mundi. Si autem lux ipsa tenebre sint, ipsæ tenebre quantæ? Vos estis sal terræ, quod si sal fatuum fiat, in quo salietur? Ad nihilum ualeat ultra, nisi ut mittatur foras, et cœculetur ab hominibus. quod iam fieri nostris hisce oculis utinam non perspiceremus.

**D**enique non erit irreprehensibilis Dei sacerdos, et pastor ouium Christi, cui credita est salus gregis, si non illum pauerit, sed semetipsum: si noctis uigilias, ne qua ex ouibus abigatur, ac sibi depereat, non sedulo custodierit. Nam si ullum unquam tempus fuit uigilandi pastoribus, nunc certe illud est, quando tamen non dormire solum, sed altum stertere plurimos uideas, quasi uero lupi absint, uulpes dormiant, uipera mortue sint et non efflent uenena gregi letifra. Ceterum ut quod uerissimum est etiam liberrime proferam, Ar-

ma hæretorum præcipua aduersum nos (abfit à uera  
bo scandalum queſo) mores nostri sunt sacerdotiū cor-  
ruptum, religio uiolata, præceptorum diuinorum, &  
patrum contemptus, acuit in nos gladium illorum, Lin-  
guæ enim eorum gladius acutus, quo simplicium corda  
misérabilis leto transfodiunt. Tota eorum fiducia ratio,  
aut potius furoris occatio, est ignavia, desidia, dormitan-  
tia, & admirabilis torpor, langor soporq; (penè dixe-  
rim) omnū qui p̄sunt. quod & cum pace omnū dī-  
ctum uelim, quod magis dolor exprimit, quam illa cor-  
dis amaritudo. Si igitur hæc hostium fortiora sunt ar-  
ma, uidelicet praui mores nostri, illa econuerſo uera  
erit, & certa expugnatio illorum atq; cōſuſio, emenda-  
tio uite nostræ, apprehensio discipline, zelus denique  
& cura uigil pastorum. Que cum in nobis uiderint,  
tunc tandem sentient se inermes, tunc non ſolum luce ue-  
ritatis, ſed etiam uitæ noſtræ ſplendore, ut ueræ tenebæ  
effugabuntur. At cum hæc in quam paucissimis uidere  
liceat, quis dabit mihi uocem ferream, ut exclamem in  
ceſsum uisque, heu heu aut quis dabit capiti meo aqua,  
& oculis meis fontem lachrymarum, ut plorem die ac  
nocte preuaricationem atque oſcitantia noſtram? Quid  
miraris clamorem meum? an iſfanire me fortassis exiſti-  
mas? aut atrabilis correptum effutire ſomnia aut figmen-  
ta? Nō iſfanio o homo non iſfanio, ſed ueras potius ho-  
minum iſfanias defleo. Non ſomnia neque figmenta ef-  
futio, ſed uerba ſobrietatis & ueritatis loquor, & quod  
oculis penantorum perſpicuum eſſe cenſeo, triste atque  
horrendum ſpectaculum lugeo ac deploro. Quid si  
quis

quis fortaffe ſcire cupiat quidnam fit iſtud, paucis elo-  
quar. Video Ionam miſſum a domino, ut Niniuem profi-  
ciscatur, atque ibi populo uerbum ſalutis annunciet,  
Dei mandato prætermiſo, nauigantem in Tarſum. Vi-  
deo hinc grandem tempeſtatem exortam in pelago, Io-  
naniq; deprehenſum illius eſſe cauſam tempeſtatis. Vi-  
deo tempeſtatis eius ſedanæ gratia, tranquillitatſque  
reducendæ, ſuper ipſum Ionam ſortem cadere, ut ipſo in  
profundum demerſo celo ſerenitas reducatur. Quis ſa-  
piens & intelliget hæc? Facile tamen eſſe puto, in Iona  
iſto, Dei ſacerdotes agnoscere, qui columba nota, id eſt,  
ſpiritus sancti caractere ſegregantur à uulgo, ut colum-  
bia innocentia & ſimplicitate probentur. Iona enim  
idem eſt quod columba. Quid uero iuſſus ire in Ni-  
niuem tendat in Tarſum, fugiatq; à domini cōſpectu, quid  
aliud eſſe dicam quam quod perſpicue cernitur, ſacer-  
dotes ad aliorum ſalutem deſtinatos, ſua tamen potius  
commoda & gaudia diligere ac procurare? Quid uero  
ingens hinc exorta pelago tempeſtas mare conturbat,  
hoc plane eſt (quod uidemus) exortus hærefes, & que ir-  
ruperunt ſchismata, & ubiq; belloruſ tumultus, & ap-  
paratus, quibus mare, hoc eſt mundus iſte, tanto fragore  
concutitur, ex hac radice prodijſe. Ione uero demerſio,  
atque hinc redditura tranquillitas quidnam tandem por-  
tendant, prudentiae uerba coniectandum relinquo. Ego  
uero ut iam finem dicendi faciam, ac paucis rem totam  
perſtingam, diſſerui à principio nihil eſſe in terris da-  
tum à patre luminum ſacerdotio maius, nihil preſtan-  
tius, nihil honorabilius, quod & nunc ucheinenter aſſe-  
ro, atq;

ro, atque confirmo. Sed et illud confidenter addo nihil esse illo abiecius, nihil nobis et Christianae reipublice pernitiosius, si non dignè tantum muneris gesserimus, aut si perperam abusi fuerimus. Ab hoc enim capitinis morbo, etiam reliquias omnes deriuant infirmitates ac fluere non solum ratio, uerum etiam præteriorum historiæ temporum, ab ipsa mundi origine facile nobis indicant. Quare leuanda sunt aliquando tandem nobis in celum capita nostra, forte enim nondum completa est iniqüitas et malitia (ut ita dixerim) amorum eorum. Placanda autem nobis est Dei bonitas, et excitanda clementia, et misericordia iugiter imploranda, ut post tantos fluctus, ac procellarum turbimes, mitem nobis uultum suum atque pacatum dignetur tandem aliquando nobis ostendere, et in lumine ueritatis ac pulchritudine pacis redeat mundo iocunda serenitas, illucentia ubique

clarissimo ac uero sole Iesu Christo, et rosea illa aurora, stellæque maris, et candida luna,

Deipara MARIA uirgine, qui=bus honor et gloria in

secula sempiter

na. Amen,

Dixi.

## AD EVNDEM RE

VERENDISSIMVM DOMINVM,

eiusdem fratri Ambrosij breuis dissertatio,  
pro autoritate ac potestate Pasto=rum, aduersus Hæreticos.



CRIPTVRAM sacram pater am=plissime laudibus in celum uerbotenus euheret, ac simul eam ad præios sensus miris fucis falsisq; interpretationibus de=torquere, nobilium hæreticorum pro=rium esse, nemo in scripturis parum promotus ignorat. Nam cum humanae gloriae ambitiosa cupidio illuc eos impellat, ut noua dogmata et paradoxa sustinere ue=linet, quo aliquid se esse ostentet: ac plane uideant, ea tu=tari alia ratione non posse, nisi maxima fulciantur auto=ritate, ad scripturas prouocant, et illuc se recipere qua=s in arcem tutissimam fingunt, à qua tamen ipsi maxime arcentur. Nam eius arcis speculatores inde potissimum in huicmodi genus hominum tela uibrant, quibus etiam conficiuntur. Que res cum alijs in locis multis, illustrium uirorum uoluminibus, quam latissime puteat, in hoc etiam quem explanandum sumpussumus, articulo, ubi pa=

storum autoritatem ac potestatem contra eorum insanas, constanter afferi=mus, dei inuocato præsi=dio, perspicue ma=nifestum fiet.

D O M I N V S igitur ac Magister noster I E S U S,  
uidens iniquas atq; admodum superstitiones Scribarum  
& Pharisaeorum superstitiones protulit in eos, ut apud  
Matthaeum legimus.c.xv. Esiae prophetiam eleganter  
in eis completam dicens.



Ypochritæ bene prophetauit de uobis Esiae dicens. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas et mandata hominum. Ex hoc loco sumunt heretici, nemini hominum precipienti, obtemperandum esse secundum scripturas, preterquam soli deo. Vnde et eorum qui sunt in potestate mandata contemnenda esse temulentissime predicauerunt. Quidam uero mutius loquentes, atque ideo ad decipiendum efficacius. Non quidem contemnenda mandata hominum, nec reprobanda esse, sed postponenda diuinis docet, eo quod non eius necessitatis sit, ad salutem illa seruare, cuius necessitatis est seruare diuina. quod uel primo affectu non interne, rem perscrutantibus equum iustumq; uideri potest: idq; hoc aut in loco docere christum, ut id maxime exprobrex phariseis, quod ita mandatis hominum intenderent, ut propterea dei mandata postponerent, que tamen erant preponenda, si enim seruassent mandata illa hominum ac dei simul, nihil increpationis meruissent. Hæc igitur opinio à superiore in eo discrepat: quod illi tenent mandata hominum scilicet prælatorum, et quos potestatem habere fatemur, reprobata a domino esse, et merito contemnenda, idq; per hæc dominii uerba. Hi uero quod

quod dominus hic non reprobat hominum mandata neq; contemnda esse iubet, sed postponenda diuinis: ut sit amplioris iusticie si seruentur: non sit autem diffendium salutis, si pretereantur, et nolit quisquam seruare, cum sint hominum, non dei: solum autem dei præcepta necesse sit ad salutem seruare. At quod lōge ac perniciose, ambo hi dogmatistæ à ueritate recedant, et ab huius loci quem interpretantur uero germanoq; intellectu, nō est difficile, capere uolentibus, persuadere. Quod ut breuiter ostendam. Primum illud constituo atque audacter affero, in hoc euangeliō et apud Esaiam simpliciter reprobari mandata hominum: quæ ex se prava erant, et reprobatione digna, ut pote uel superstitione, uel etiam irritantia mandata dei: quod à multis persuaderi potest. Primo quidem, quia apud scripturam mandata hominum et doctrinæ hominum, ha proprie dicuntur que ab humana prudentia et sapientia sunt, ut contra deum militat: in quo sensu scriptum est, Et sapientia hominum non est Proverb.30. mecum. Et iterum, sapientia hominum inimica est deo. In hoc sensu uocat homines paulus quando ait, cum sit Ad Corin.3. inter uos zelus et contentio, nonne secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat, ego sum Pauli, aliis autem, ego Apollo, nonne homines estis? Hic enim manifeste homines appellat qui contra dei spiritum et sapientiam sapiebat. unde et alibi, Notum, inquit, uobis facio, euangelium quod euangelizatum est a me, quoniam non est secundum hominem. et tamen erat secundum Christum, qui erat homo, et secundum ceteros apostolos qui erant homines. Capit ergo et ibi homines, ut aduersatur C 4 spiritui

spiritui dei iuxta humanum sensum. Et paulopost. Modo hominibus, seu homines, suadeo, an Deo, siue deum? An quero hominibus placere? si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Ecce quod et hic perpetuo caspit homines, ut aduersantur sapientiae Christi. Alioquin

**Iac. 3.**

**ad Cor. 10.** aiebat Paulus, per omnia omnibus placebo. Hoc intellectu dictum est, omnis homo mendax, scilicet ut homo est, et in humana corruptae naturae conditione ac fragilitate permanet. Hoc intellectu (ut eleganter exposuit Augustinus) Beatus Iacobus apostolus dixit. Nullus homo potest domare linguam suam, hoc est, nullus qui homo maneat, id est in conditione naturae sue, que ad peccatum est prora promptus, potest domare linguam suam. Nam qui domat, ex gratia dei domat. Gratia autem dei eleuat hominem in altiorem essendi gradum, ut iam non homo sit, et filius hominis, sed filius dei, et deus, sicut de his, quia afflati gratia consortes quodammodo diuina naturae facti sunt, scriptum est. Ego dixi dij estis et filii excelsi omnes. Hoc intellectu dictum est Petro. uade post me Satana, scandalum es mihi, quia non sapi ea que dei sunt, sed que hominum. Vide ergo queso acute lector, quod sapere que hominum sunt, non est aliud quam sapere contra id quod est dei, unde et satanas constituitur qui ita sapit, quoniam aduersatur deo, satanas enim idem est quod aduersarius. Ergo in re proposita iuxta scripture intellectum, sicut per sapientiam hominum intelligitur ea sapientia que repugnat, et aduersatur sapientiae dei, ita per mandata hominum significantur ea mandata, que repugnat mandatis dei. Ex quo patet hic haeres

ticos

ticos, hac in re tantisper uerum dicere, uidelicet quod do minus in hoc euangelio per prophetam Esaiam reprobatur hominum mandata, ut abicienda, ut contemnenda, atque merito explodenda, in quo aliorum interpretatio fallitur. Verum in hoc amborum est error, quod per mandata hominum intelligunt Prælatorum mandata quecumque, et non ea tantum que sunt prava et aduersantia legi dei. Nos uero constantissime dicimus, quod hic hominum mandata et traditiones reprobantur, quibus nullo modo parere debemus, quoniam contra deum sunt. Declaramus enim mandata et traditiones hominum eas tantum dici, que diuinis aduersantur preceptis aut mandatis, quod iam ex modo loquendi scripturarum abunde probatum putamus recte scrutinibus illas, nec deessent loca alia, ad hoc probandum abundantius. Verum ut uel ex hoc ipso loco evidentissime demonstretur, bone lector adhuc te obsecro attende. Et considera, ad occasionem acceptam a domino inuechedi in doctrinas et mandata hominum, ut agnoscas, ad que mandata et doctrinas, aptet Esaiam uaticinium. Certe erant Phariseorum traditiones, quarum aliae evidenter irritum faciebant mandatum dei, aliae uero erant uane, et superstitione dei cultum ac religionem ponentes in his que erant uana, nec promouebat ad uerum cultum. Nam una illorum traditio, contra quam primo inuehitur dominus, erat. Si dixerit homo patri uel matri, corban, id est donum quod ex me est, tibi proderit: immunis siebat ab honore parentibus debito, et ita irritum faciebant mandatum dei sicut apertissime dixit dominus. Rescindentes uerbum dei, per traditio-

nem uestram, & similia huiusmodi multa facitis. Alia autem traditio erat crebra illa manuum lotio. & baptismata hominum, urceorum, calicum, grumentorum, lectorum, & huiusmodi: quæ & si de seipsa solam inutilitatem contineret, & per hoc satis reprobabilis esset, habebat tamen etiam errorem noxiū adiunctū, quia putabant ab illa corporis munditia uel immunditia, animæ simul munditiam & immunditiam cōtrahi, propter Marc.7. quod execranda erat. unde & Marcus despiciabiliter & irrisorie illa enumerat, adeoque diligenter, ut etiam addat quod multa his similia faciebant. Vnde dominus ob hoc prophetiam illam inducit in eos, & propter hæc uerificatim. Sine causa, id est, in uanum me colunt, id est, inutiliter, & ideo superstitiose, quia solis labijs, id est, exterioribus ceremonijs que nihil ad pietatem ad fidem, ad spem, ad charitatem dei promouere aut mouere poterant, sed ad errorem. quia a corporali immunditia illa putabant etiam cordis immunditiam procedere. unde dixit Dominus discipulis suis, Adhuc & uos sine intellectu estis? Non quod intrat in os, coiquinat animam: ac si apertius dixisset, ita insanitis sicut hi Pharisæi, ut putatis sorde corporea inquinari animam: aut carnis munditia, & uasorum & lectorum mudari cor ipsum? Quare & mox, quia de hoc uerbo scandalizati erant pharisæi, docens aperte quod ista plantatio eorum, que erat talis doctrina, & talia mandata, non erat ex deo, sed digna eradicari in spiritu quodammodo exclamat, & ait. Omnis plantatio quam non plantauit pater meus celestis eradicabitur, Sinite illos, Cœci sunt, & duces cœcorum.

Quid

Quid est igitur quod ait, finite illos: nisi contemnите eiusmodi doctrinas? Nam & paulopost, Cauete, inquit, a fermento Pharisæorum, quod non sane intelligébibus discipulis, & putantibus de pane eum dicere, aperte declarauit esse doctrinam & Hypocrisim istam, qua, exteriore munditia, interiore qua carebant mentiebantur. Vnde & alibi cōminatur. Væ uobis scribæ. & Pharisæi hypocrite qui mundatis quod deforis est calicis & parapfidis. Impie ergo & stulte hinc accipiunt heretici Matth.23. quod dominus docuerit contemnda esse mandata prælatorum quæ alioquin non mala essent, nec supersticioſa. Alij autem longe falluntur puantes, non simpliciter damnari hic mandata hominū, cum aperte sime damnentur, sed quæ hominum sunt, non prælatorum: id est, quæ humano spiritu decreta contra spiritum dei, non quæ ut a sedentibus super cathedram Petri profecta sunt in aedificationem. De his enim scriptura aliter loquitur. Ait enim: Itaq; fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Tælia enim tanquam dei mandata præculdubio seruanda sunt, quia a spiritu dei sunt, & ideo non hominum, sed dei censenda, Idcirco Paulus, ne quasi hominum mandata putarentur, ac ideo spernerentur, postquam quedam mandauit & hortatus est, subiecit, puto autem quod & 2. Thess.2. ego spiritum dei habeam: scilicet ad mandandum ea que secundū Deum sunt, non secundū hominē, id est secundū humane sapientie spiritū. At de traditionibus hominum ita dicit, Cauete ne quis uos decipiatur secundum traditiones hominum. Rursum de traditionibus & mandatis prela

2. Chor.7.

Ad Heb.13. prelatorum ait. Obedite præpositis uestris. De manda  
 Ad Coloß.3. tis autem parentum. Filij obedite parentibus. De manda  
 ad Titum.3. tis etiam principum seculi huius, ait, ad Titum. Admone  
 illos principibus et potestatis subditos esse, dicto obe  
 Ad Rom.13. dire et c. Et ad Roma. Qui potestati resistit dei ordina  
 Deuter.17. tioni resistit, De sacerdotis imperio et mandatis in lege  
 ueteri scriptum est. Qui superbierit nolens obedire impe  
 rio sacerdotis qui eo tempore ministrat domino deo tuo,  
 ex decreto iudicis morietur homo ille et auferes malum  
 de israel. In actis quoq; Apostolorum de Paulo dicitur,  
 quod precipiebat custodiri precepta Apostolorum, ac  
 seniorum. Et paulopost de paulo Sila et Timotheo scri  
 bitur quod tradebant custodiri dogmata quae erant dee  
 creta ab apostolis et presbyteris, siue Episcopis. id enim  
 erant eo tempore presbyteri quod episcopi, ut docet  
 hieronymus, imo et Paulus ipse. Nec putandum in solis  
 apostolis finiri uerbum domini illud, Qui uos audit me  
 audit qui uos spernit me spernit. Et iterum. Si sermonem  
 meum seruauerunt, et uestrum seruabunt. Quare non  
 possunt citra salutis dispensium, prælatorum mandata  
 et precepta contemni aut præteriri. quæ non in destruc  
 tionem sunt, sed in ædificationem. Deus enim his nos ob  
 temperare precepit. Quocirca docte et eleganter bea  
 tus Thomas noster pluribus in locis probat: et in secunda  
 secunde de obedientia ita scribit: exigit charitas dei, ut  
 eius mandatis obediatur: et ideo inobedientem esse diuin  
 is preceptis est peccatum mortale, quasi diuina dilectio  
 ni contrarium. In preceptis autem diuinis continetur,  
 quod etiam superioribus obediatur: et ideo etiam inobe  
 dientia

dientia qua quis inobediens est præceptis superiorum,  
 est peccatum mortale quasi diuine dilectioni contrarium,  
 secundum illud ad Roma. qui potestati resistit, dei ordi  
 nationi resistit. Contrariatur autem dilectioni proximi,  
 in quantum superiori proximo substrahit obedientiam  
 quam ei debet, hec Thomas sancte quidem et ca  
 tholice, et hec est doctrina scrupulis et  
 ambagibus carens. Benedictus deus  
 qui dedit haec scire et pro  
 ferre in sinceritate  
 et charitate,  
 AMEN.

v qum modo intelligat <sup>m</sup> figuratu  
in melchis deo } 193.

